Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8188
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



mi conspectu tuo gemitus oppressorum. Secundum magnitudinem brachii tui possidebis filios mortificatorum. Et redde vicinis nostris septuplum in sinum eorum improperium ipsorum quod exprobraverunt tibi domine. Nos autem populus tuus et oves pascuae tuae confitebimur tibi in saecula. In generatione et generationem adnuntiabimus laudem tuam.

Qui regis israel intende: qui deducis de cuta velut ovem ioseph. Qui sedes super cherubim: manifestare coram ephraim benjamin et manasse. Exurge potentia tua et veni: ut salvos facias nos. Deus convertere nos et ostende faciem tuam: et salvi erimus. Domine deus virtutum: quousque irascaris super orationem populi tui. Cibabis nos pane lacrymarum: et potum dabis nobis in lacrymis in mensura. Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris: et inimici nostri subsannaverunt nos. Deus virtutum convertere nos: et ostende faciem tuam et salvi erimus. Vineam de egypto transtulisti: eiecisti gentes et plantasti eam. Dux itineris fuisti in conspectu eius: et plantasti radices eius et impleuit terram. Operuit montes umbra eius et arbusta eius cedros dei. Extendit palmites suos usque ad mare: et usque ad flumen propagines eius. Ut quid destruxisti maceriam eius: et vindemiant eam omnes qui praetereunt viam. Exterminauit eam aper de silua: et singularis ferus depastus est eam. Deus virtutum convertere respice de celo et vide: et visita vineam istam. Et perfice eam quam plantauit dextera tua et super filium hominis quem confirmasti tibi. Incensa igni et suffossa: